



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Annalivm Trevirensium

Masen, Jacob

Augustae Trevirorum, 1676

Benevole Lector.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12542

BENEVOLE LECTOR.

EPITOMEN longioris Trevirorum Historiæ rogatus, variis de causis incolis exterisque gratificatus, exhibeo. Grandior ille duorum Voluminum apparatus, multorum è populo, atque etiam literatorum vulgo manus subiturus non erat; quorum tamen ad instructionem exemplumque intererat illustria Majorum gesta, ac facinora, propugnatam, & ad hæc usque tempora propagatam ab Apostolis fidem ac pietatem, non ignorare: gloriosos in certaminibus diverso tempore Martyres ac proavos suos, in Martio Trevirorum Campo propositos intueri: æmulari fervorem, ac religionem sectari. Deinde & illi, qui prolixiorum Historiam nostram cœperunt volvere, ob sublimius principio, & cum quadam obscuritate conjunctum, scribendi genus, desiderabant lucem sibi aliquanto majorem, breviori magisque aperta scriptione dari: ut proinde tam habituris grandiorum Historiæ apparatus, quàm eo carituris hoc beneficium impenderim: illis, ut inspecta EPITOME Annales profusiores facilius penetrarent: his, ne præcipuarum saltem rerum cognitione destituantur.

Ceterum qui Antiquitates Trevirorum illustriores, quarum memoria superfuit, suis etiam in figuris non paucas, contemplari ac penetrare voluerit propius, quique etiam gravissimarum rerum fundamenta, decretis Cæsarium, Pontificumque ac Principum diplomatibus innixa penetrare voluerit, IS, nisi facultas defuerit, consultò Annales ipsos aditurus est. Cum mihi propositum solum fuerit res ipsas nudè, sine ejusmodi stabilimentis, exponere, præcipuis tantum adjunctis, vestitas. Quare & citandis autoribus aliisque testimoniis supersedi, quod hæc desideraturo Annales paterent. Illud verò observandum Lectori, meamque EPITOMEN cum Annalibus collaturo, erit. Non eisdem me sedibus annisque per partes Historiam quamque sigillatim digessisse, quibus in Annalibus à Brovvero, aut me, fixa reperitur; sed ad præcipuum rerum gestarum, mortisque, aut etiam vitæ alicujus herois, facinorisve vel eventus caput revocasse non rarò plura, quæ per Annales diversis locis distributa fuere, quod non brevitatis minus quàm claritatis gratiâ faciendum duxi. Ut sic ubi in anno quopiam vel plura, vel pauciora quàm Annales, EPITOME hæc mea representet, non iccirco, vel adjecta, vel omissa per incuriam censeri debeant. Quanquam & nonnunquam, ubi Brovveriana scriptio, minus aperta esset, cum originalia documenta suppetere, religioni mihi non duxerim clarius rem aliquanto, suis cum adjunctis exponere: præsertim ubi minimè ambigua suppedirentur; quod alia ad Historiæ illustrationem via promptior non esset. Sed parcè id actum volui, ne Compendii rationes limitesque transilirem. Quæ denique ob methodo ac sine direxi, ut vernaculâ aliquando linguâ Trevirorum res, ad vulgi desiderium manusque transferri possent. Hæc te scire, lector amice, meaque hæc EPITOME ad majus Dei obsequium, tuamque salutem frui volui. Vale, ac fave.